

**05**

**A**

**1389**









In Nomine JESU

DE

JURE VITÆ

ET NECIS,

PRO LOCO,

IN AMPLISSIMA FACULTATE

PHILOSOPHICA

*benivolè*

*concessò sibi,*

*disputabit*

M. JACOBUS WÆCHTLERUS,

Ser. Elect. Sax. Alumnus,


*Respondente*

JOHANNE Hölzeln/

Nivemont. Misnic.

*Die XVIII. April. horis matut.*

*in Audit. Majori.*



WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXV.







CLARISSIMO CONSULTISSIMOQUE  
VIRO,

DN. BARTHOLO.

MÆO PFENNERO,

J.U.C. & Poligrapho apud Schnee-  
bergenses longè meritissimo,

PATRONO SUO MAGNO, PROMOTORI  
*studiorum beneficentissimo atq; Affini ho-  
noratissimo*

PROSPERITATEM OMNIGENAM !

**R** Es horrenda satis, primâ ceu fronte videtur,  
pectora num vero grata notare queat?  
Mirum! Sed residet duro sub nomine virtus;  
Mensque sub horrendo tegmine grata latet.  
Scilicet omnigeno qui Musas promovet ausu,  
Consecrat huic fructus juré Minerva suos:  
Has nunc primitias Studii, quas sisto, sequatur,  
Ille Tuus tantus MAGNE PATRONE favor!  
Ausibus, ut puppi flatus sivevère secundi,  
posthac adspiret Gratia tanta meis.  
Non descripta typo se litera sola favori  
Vestro; se totum devovet ipse simul



05 A 1389


*Vestra pereximi Praclarè*

*filiâli affectu addictissimus Affinè*

**Respondens,**



## In Nomine Jesu!

 uenadmodum species, quam renitentium candor vasorum spargit, sub imagine fulguris pueros terret; nocendi tamen vi nullâ pollet, ideoq; locum proverbio dedit; *fulgur ex pelvi*: sic omne imperium, quod non ex potestate in caput, quæ vitæ ac necis complectitur jus, mediatè fluit vel immediatè, precarium ac per se inefficax est, fulgur ex pelvi, h. e. inane quoddam terriculamentum. Ideoq; Majestatis tum *forma*, tum *finis*, tum *efficacia* potestatem eâ præsupponit, ut inde nostram *de jure necis ac vitæ* dissertationem, Politicam jure meritò appellemus. Quæ proponenda v. in medium sunt, collecta bono ordine *septem capitibus* comprehenduntur. Principiò in quaestione, *quid sit*, occurrit *essentia*: post *existentia*; in quaestione, *an sit?* ac *dependentia* deinceps, unde vel à quonam sit? *Inherentia* quoq; ecquibus competat? nec non *tendentia in objectum*, in quos & quales valeat? *energia* deniq; seu exercitii circumstantia: ac *efficacia* tandem, qualis ex eò sequatur potestas? Hæc ventilabimus paucis, divinum Numen faxit, ut & feliciter.

SECT. I. §. 1. Exordiamur nunc ordine telam nostram, ac disquiramus prius, quid sit Vitæ ac Necis jus, & quis formandus in mente conceptus ante, quam ad solvendas de eò controversias aggrediamur. Vox *juris* aliàs notat *ἰσχυροῦς*; sic apud Plautum: *jus bonum oras*, Rud. 4, 4. *merum jus dicis*; *impetrare oportet, quia æquum postulas*. Stich 5, 4. Similiter *ἰσχυροῦς*. Apud Livium nonnulli: *testis ac parietibus jura dicturi estis?* 3, 52. Florus: *juris, quod ipse composueris, oblivisci non decet*. 1, 24. De Cæsare Tranquillus: *jus civile ad certum modum rededit, atq; ex immensâ diffusaq; legum copia, optima quæq; necessaria in paucissimos contulit libros*. c. 44. Tertiò *ἰσχυροῦς*. Sic apud



apud Plautum : ego hunc scelestum in jus rapiam exulem ; age ,  
*ambula in jus* Rud. 3, 6. i. e. per Metonym. ad sellam prætoris,  
 quomodo Germani suo more, nach Rathhause/ vor die Richter.  
 Denique ἐξουσίαν seu potestatem, eamq; vel *injustam*, quo-  
 modo Galli ad Romanos, *se in armis jus ferre*, dicunt apud Liv.  
 5, 36. vel *justam*, veluti Curtius de Omphæ : *permisso, ut regna-*  
*ret, non tamen jus datum usurpare sustinuit.* 8. 12. Et sic h. l. *Jus*  
*Vitæ & Necis* peculiarem aliquam *ἐξουσίαν* aut formam, &  
 qualitatem moralem ἐξουσίαν seu ἐξουσίαν quandam ὑπερέχου-  
 σιν denotat : quò sensu etiam dicere solemus *jus belli, jus mo-*  
*netæ, jus nundinarum* &c. In codice Sacro vocatur *GLADIUS*,  
 ac in Scholis Politicorum *Jus gladii*; non in sensu *specialiori*,  
 quomodo id à Nobilibus Germanorum concedi solet, cum in-  
 fringunt alapam : sed *generaliter* ac *Metonymicè*, dum excel-  
 lentioris actus instrumentum, ceu signum, pro ipso habitu po-  
 nitur. Romani juris Doctores fermè *Imperium merum* vocat,  
 nec id J.C. aliter definit, quàm *quod sit jus gladii. & potestas ani-*  
*madvertendi in facinorosos*, ut ait Besold. de Ær. c. 5. p. 110. Ger-  
 mani vertunt *Macht und Gewalt über Leib und Leben.*

§. 2. Secundum nostrum verò considerandi modum,  
 describi posset ita : *Jus V. ac N. est potestas quedam civilis, quæ*  
*Magistratui licet punire fontes. pœnâ potissimum capitali.* Genus  
 à formâ desumptum, est *potestas*. Intellige potestatem non æ-  
 quivoçè aut *precario* talem, sed *univocam & efficacem* : quomo-  
 do *Majestas ipsa POTESTAS* summa dicitur. Formaliter in-  
 cludit *libertatem* à contradictione vel inhibitione Superioris,  
 non *DEI* quidem, sed *Hominis*, cum non ab homine veniat, sed  
 à *DEO* gloriosò.

§. 3. *Differentia* sumitur p. ab adjuncto, quat. dicitur p. q.  
*civilis* : à nobis n. consideratur in præsens politicè, prout exi-  
 stit in civitate, civiliterq; ob civium salutem omnium admini-  
 stratur. Cumq; in rep. plures reperiantur potestates, à Summâ  
 illâ, quæ *Majestas* dicitur, dependentes ; ideoque rectè addi-  
 tur potestas *quedam* civilis, cum neq; ipsa *Majestas* sit, nec reli-  
 qua *Majestatis* jura essentialiter contineat. p. à subiecto, quat. di-  
 citur *Magistratui competere, i. e. quibusvis personis imperiū*  
 admis



administrantibus. Est a. potestas hominis, non *effectivè*, sed *Subjectivè*: *materialiter*, at non *causaliter*; non ratione *dependentia*, sed *inherentia*: causaliter n. à DEO ter Opt. Max. est perinde ut Majestas ipsa, ac immediatè quidem, sicut id infra Politicè, ex *naturâ & dignitate hujus Objecti* nostri, probabimus. p. *ab objecto*, quod neque *bruta* sunt (in ea enim nec virtus cadit, nec vitium; ideoque nec præmium, nec pœna, formaliter) neque *mortui* (nam qui experies sensuum sunt, doloris esse capaces non possunt; ideoque in extinctos non tam pœna, propriè; quàm *exemplum* statuitur) sed *homines*, non omnes quicunq; ; sed *fontes*, cum innocentibus parcere jura jubent omnia. p. *à sine & formali actu*, qui coercitio seu *debita pœna inflictio* est, potissimum pœnæ capitalis, unde denominatio fieri consuevit. Secundarius, & ex isto dependens actus est *condonatio pœnæ* seu aggratiatio; quam in præsens, ob studium brevitas, exesse ex arenâ nostrâ jubemus. Reliqua in subsequentibus excutiemus.

SECT. II. §. 1. Sic efformatô *quidditatis* conceptu, ad *existentiam* pergimus, ubi vel *absolutè* quæritur de *tot FACTO ESSE*, vel *respectivè*, de *tot JURE ESSE*. Quod actu ipsô existat hodiè, tum *à priori*, tot principum leges imperiaque ac bella: tum *à posteriori*, ut loquar cum Plautô, tot crucis discipuli ac contubernales, tot uvæ pensiles literæque longæ, testantur. De antiquioribus verò temporibus id memorant monumenta historiarum. Curtius ad Abdolonimum sic loquentes adfert: *Cum in regali solio residebis, VITÆ NECISQUE OMNIUM CIVILIVM DOMINUS, cave obliviscaris hujus status, in quô accipis regnum.* 4, 1.

§. 2. De *tot jure esse*, si sermo sit, indifferenter asserimus, debere esse mortales inter hoc ipsum jus, tanquam justissimum legitimumque in sese. Quanquam verò ex Testimoniis sacris probari evidentissimè omnium queat; naturæ liber tamen haud tacet omninò. *Abhorret natura à confusione.* Quot a. confusiones in *toro, choroq; ac foro*, quot scelera forent, & quis licentiæ, ferocitatis ac inobedientiæ modus, si non existeret necis potestas? Memorat Stobæus, fuisse quondam *Per-*  
*farum*



larum legem, defuncto rege εἶναι ἀνομίαν πένθ' ἡμέρων, h. e. ut  
facere cuiq; quod vellet, liceret, quinq; diebus à morte regis proximo-  
mis. Fiebat intra paucissimas horas, ut summum imperium  
omnes exoptarent. Frustra natura hominum esset πολιτικὴ,  
frustra innatum salutis publ. desiderium esset, frustra resp. ex-  
peteretur, frustra & Magistratus constitueretur, si potestas V. &  
N. quæ omnium anima superiorum est, non esset concedenda.  
Ex hac indigentia non ineptè concludit Joh. de Lugo: non pos-  
se esse illicitum id, quod necessarium omninò sit ad vitam hominū  
politicam & quietam, qualis sit sceleratorum punitio. De just. &  
jure disp. 10. s. 2. n. 58. Accedit porro, quod neque carceribus  
verberibusq; coerceri satis delicta queant, si retinendæ tamē  
vitæ spes reliqua maneat: quinimò quod exardescant sapius  
scintilla, flammamq; longè majorem concipiant.

*Quoniam dociles imitandis*

*Turpibus ac pravis omnes sumus, Juven. l. 14.*

*Ergò Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus*

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

SECT. III. §. I. Quanquam v. tum indigentia, tum actue  
alis existentia notitiam consequi possimus ex communi naturâ:  
causale tamen principium, à quò dependeat intrinseca Juris ἐξ-  
στία καὶ ἐνομία, non existit in naturâ; sed in supremo princi-  
pium Dominò quærendum est. Molina quidem 1. tom. tr. 2. disp.  
100. cum Navarrò & Gabriele, humanam allegant auctoritatem:  
si absq; superiore familia diversa viverent, fas esse unicuiq; propriâ  
auctoritate sumere justam vindictam. Planus adhuc Jo. de Lu-  
go: solum datur potestas ea quasi indirectè à subditis, quatenus vo-  
lentibus illis componere unum corpus commune, illa communitas  
jam JURE NATURÆ habet facultatem corrigendi singulos atq; et-  
iam ex eò, quod jure NATURÆ omnis superior potest & debet gu-  
bernare ac regere subditos. Communitas eò ipsò, quod sit corpus  
commune, habet superioritatem in singula membra &c. Eadem  
sentit Ad. à Conzen. l. 1. pol. c. 3. & l. 5. c. 8. Pariliter mariti jus in  
uxorem, domini in servum, patris in liberos, vel ex physicâ  
corporum inæqualitate, vel ex Ethicâ morum diversitate, vel  
ex historicâ exemplorum pluralitate, quamplurimi derivant.

§. 2. Ser



§. 2. Sed de potestatis civilis causâ num Physica, vel Ethica, vel Historica firmam & adæquatam producere consequentiam potest? Quin potius in indagandô civilis hujus Juris ortu, ad Deum Ter Opt. Max. unicè progredimur, statuentes, inferri à Magistratibus pœnas non solum in bona, sed & in vitam delinquentium jure divinô. Hauriemus rationes ex fontibus Politicis, argumentandô p. ex Juris hujus summitate. Recogita quæso apud animum tuum, quale quantumq; sit, hominem in equuleo tam graviter torqueri, hominem inquam ab homine, rapique postea & constringi, ut fune, vel ense, vel igne, vel aquâ, vel rotâ, vel saxo, aliove miserabili mortis genere interimatur. Si sola hominis autoritate id fieret, ferme dicerem cum Polybio, nullum esse animal, quod impietate ac crudelitate homo non superet. 1, 8 p. ex naturali omnium hominum æqualitate. Nudam spectâ naturam hominum, summam reperies libertatem, summâ æqualitatē harū creaturarū. Quomodo itaq; per nature privilegium, unus aut plures jus V. ac N. habebunt in te, nec vel tu solus, vel unâ cū aliis tecū consentientibus potius in istos? Si *communitas*, si *societas*, si *voluntas mutua* id confert; cur neque tibi sit integrum, exorare in amicitiam nonnullos, ut & per hos, jus V. ac N. in istos consequaris? p. ex *accidentali hominum disparitate*. Alter alterô fortior est, prudentior est, annosior est; hic masculini sexûs est, hic generationis principium est; hic amicos & socios habet ac vivit in communitate: ecquid rûm postea? Hæccine *contingentia* sufficiant, ut *effectivè* producant, & in *conscientie forô* licitum præstent jus V. & N. in eum, qui talis non sit? quæ coherencia? Ubique peccari contra receptum Canonem video: *Effectus non est præstantior suâ causâ*. p. ex *fundamentali producenda hujus potestatis facultate*. A quô demittitur Vita hominis sub potestatem alterius liberam, ab eô quoque dependeat necessum est. Tradere rem enim non potest, qui non rei dominus est. Hujus a. relationis *terminus à quô*, nec est humanum corpus, nec humana anima (nam sic haberet omnis homo Jus V. ac N. at in quem quæso?) scirem itaque pellubentèr, quomodo potestas subjiciendi alicujus *vitam sub imperium*, aut *bona sub dominium*,



miniū, propriū vel cōmune, radicaretur in homine, vel ex cō-  
 ventu atq; consensu statim singulis aut universis superaddere-  
 tur, ut sic ab iisdem *causaliter* & *obligatorie* Jus V. ac N. pro-  
 duci posset? Dicerem potius, à *velle ad posse*, ab *electione ad ef-*  
*fectionem*, à *moralī qualitate ad civilem potestatem* N.E. C. Benè  
 in rem hanc de *Dicastillo*: *natura rationalis est sub dominio solius*  
*DEI, quoad vitam & substantiam*: *aliæ verò creaturæ irrationales*  
*esse possunt sub dominio naturæ rationalis, ad cuius utilitatem ex na-*  
*turâ suâ ordinantur.* l. i. d. 17. n. 513. p. *ex historicâ exempli inducti-*  
*one.* Gloriabatur Pilatus de jure N. ac V. quod accepisset in  
 Christum. Acceptionem ac dependentiam DEUS non infici-  
 abatur: sed locò termini à quò ponebat, non *Cesarem*; sed  
 DEUM, qui in omnes homines primò & per se habet Jus V. ac  
 N. sicut & in universum mundum dominium. Ideoque, ut  
 ait *Amesius* l. 5. de *consc. c. 31. vita proximi non subjicitur arbitrio*  
*cujuspiam, nisi illius, qui autor est ac dominus vitæ.*

§. 3. Quærendus itaque Juris hujus *causalis ortus* non est  
 (1) *in jure naturæ.* Id enim  $\alpha$ . singulis, de naturâ eadem parti-  
 cipantibus, commune est,  $\beta$ . immutabiliter.  $\gamma$ . indubitanter.  $\delta$ .  
 æqualiter, &  $\epsilon$ . circa actiones, in sese turpes vel honestas,  $\zeta$ . cū  
 stabili obligatione ad fugiendas illas, & has exequendas. Fiat  
 applicatio! (2) *in jure gentium.* Id n.  $\alpha$ . gentibus, quâ genti-  
 bus,  $\beta$ . omnibus.  $\gamma$ . per intrinsecum rerump. nexum,  $\delta$ . mutuò  
 & immutabiliter  $\epsilon$ . sub obligatione fixâ commune est  $\zeta$ . circa  
 ea, quæ mutuam gentium seu politiarum salutem turbant vel  
 juvant. Fiat applicatio! (3) *in communitate vel communi vo-*  
*luntate*: quæ sententia ( $\alpha$ ) videtur esse *seditiosa*, pro prædonum,  
 piratarumque, atque rebellium defensione.  $\beta$ . multum *fabulo-*  
*sa*, cum fundamentum sint Tropi ac Allegoriæ. Quid n. *corpus*  
*mysticum*, quid *corpus politicum per se subsistens*, quid *Totum civi-*  
*le*, & quid *imperium Totius in partes*? & c.  $\gamma$ . non nihil *irreligiosa*,  
 quoniam sacratioꝝ literatura de causâ imperiorum loquatur  
 exclusivè. (4) *ex naturali aptitudine vel inclinatione*, aut quoq;  
*moralī qualicunq; utilitate vel dignitate.* Præstatioꝝ n. effectus est  
 causâ suâ. Et sequeretur, quòd *ambitiosissimus & eruditissimus*  
 mus



mus quisq; subditorum, latronum quoque ac transfugarum  
aut peregrinantium multorum cætus, potestatem in caput jam  
possideret.

§. 4. *Dicunt*: sed absq; mediis tamen DEUS non confert  
gladium. *Resp. 1. Est ign. El.* Nam non de collatione materiali,  
sed de productione causali solùm sermo est, in abstracto. 2. *Est  
fall. conf. N. V.* per quemcunque *confertur* gladius, ab eò quo-  
que *efficitur* gladius. Manet origine suâ divinum hoc sum-  
mum Jus, etiamsi modus transferendi ab unô subjecto in  
aliud sæpissimè variet aut quoque iniquus sit, quomodo pote-  
stas necis in Pilatô, quoad *productionem*, erat à solô DEO: sed  
*in modô consequendi*, causa proxima impositionis erant homi-  
nes, scil. Romani; prout ex *historiis* constat. Theologorum  
sententiam si quis velit legere, *B. Hülfem. in brev Th. c. 20. §. 3. p.*  
*399.* evolvat.

SECT. IV. §. 1. Cum itaq; *Jus V.* ac *N.* perinde ut *Maje-  
stas* ipsa, non nisi à solô DEO conferatur, nec *minister* gladii es-  
se possit, quem non in ministerium hoc *dominus* gladii vocâ-  
rit: in expeditô responsio est, ad quæstionem; *an existat Jus V.  
ac N. in privato?* N. I. quia contradictio est, *privato* inesse *Jus V.  
ac N.* Nam ex Juris competentia, vindicta ejus publica est, &  
quoad hujus autoritatis respectum, ipse quoque persona pu-  
blica. 2. frustra vindicta prohiberetur privata, si & privato,  
quâ tali, jus necis competeret. 3. si in propriâ causâ quilibet  
Judex esse posset, supremi principes tot forent, quot essent ci-  
ves. 4. ecquando v. & quomodo certus erit privatus in con-  
scientiâ suâ, se accepisse divinitus gladii potestatem? 5. Cur  
Petrus reprehendebatur, quod, in periculô summô tamen, cõ-  
tra latrones gladium stringeret? Hinc *Augustinus*: *qui sine a-  
liquâ publicâ administratione maleficum occidit, velut homicida  
judicabitur: & tantô amplius, quanto sibi potestatem à DEO non  
concessam usurpat. l. 1. de civ. DEI c. 26.* Dicis: atqui & jure na-  
turali, privatâ etiam autoritate, *juxta moderamen inculpate tu-  
tele*, occidere licet insultatorem, prout ex concessione civilia-  
um legum constat. *Resp. De moderamine inculpate tutelæ quid*

B

sen.



fentiendum sit, hujus loci non est inquirere. Cum n. ex jure civili desumptus sit hic terminus, aperte constat, licitam esse, occisionem istam ex peculiari Magistratus sanctione, & sic autoritate publicâ. Sed à civili jure, ad jus naturale N. V. C. Defensionem permittit jus naturale; sed ideò jus V. ac N. non confert. Et ex defensionis necessitate, qui occidit, nò statim ex potestate in caput occidit. Videri etiâ potest hac de re B. Chemn. in L. de Vind.

§. 2. Quæritur porro, si homines quidam, extra temp. viventes ac cohabitantes, in societate s. à essent, annon suapte veluti sponte existeret penes eosdem jus V. ac N.? Personis singulis tribuit Lugo l. c. n. 77. singulis familiis, & non personis singulis Molina l. c. disp. 100. Nos de utraque sententia dubitamus 1. ob defectum principii. Si n. neq; natura, neq; consensus, neque societas causa Juris hujus est, sed solus DEUS; dicant, ac præbent firmiter, quòd vel conjunctim vel divisim, in ministerium gladii sint constituti. Negatò causæ influxu, negatur effectus. 2. ob defectum objecti. Frustra est jus V. & N. cum adest nemo, qui ad patiendum sit obligatus. Numquid igitur habebunt in semetipsos? at liberi omnes & æquales singuli sunt, fatentibus ipsis. Et quomodo iidem sibimetipsis esse subjecti possunt ad mutua mortis imperia atque obsequia? Redit quæstio, à quonam subjecti? ecquando! & quò efficientis causæ influxu? an in emigrationis terminò à quò, an in terminò per quem, an in terminò ad què? an in còsensu de itinere, an in itineris còtextu, an post itineris actû, per loci unius occupationem, sint consecuti? An a. habebunt eandem in alios? Hoc isti alii nunquã fatebuntur. Vexata quæstio manet; quis vobis dedit hoc in nos jus? Si natura, si societas, cur nò & nobis in Vosmetipsos? si DEUS, probetis. Dicis: indivisim sumpti jus illud habent, in sese divisim sumptos. Resp. A quonam habent, & quò acquisitionis modò, cù adhuc extra rēp. liberè singuli vivant & absq; omni magistratu? A conjuratione aut cohabitatione ad juris hujus consecutionem N. V. C. Deinde demptis quibusdam, divisi sunt: nihilominus tn. habere se potestatem gladii pars quævis gloriatur. Habitationis itaq; causæ vel saltem conditio sine quâ non, Metaphorica isthæc indivisio non fuit. Dicis: exrescere tamen in regnum societas talis  
succes.



ſucceſſu temporis poteſt. *Reſp.* *Eſt fall. cauſa.* Acquiritur tandē  
poteſtas & juridiſtio ſūma, non ex violēto vel ambitioſo civi-  
tatis hujus exordiō; ſed ex genuinā & adæquata *Efficientis cauſe*  
*ſe* directoriō: non quod adfuerit à priori, per *emigrationem*,  
vel *conſenſionem* vel *cohabitationem*; ſed quod advenerit à po-  
ſteriori, per legitimam cohabitantium ſponſionem vel *electio-*  
*nem*, quam recta ratio, naturæque inſtinctus urget, ac populo-  
rum omnium uſus approbat, ſplendidiffimāq; Hebræorū *reſp.*  
commendat, ut ſic deriveretur in ſocietatem, quod *ex rei verita-*  
*te*, tametiſi non ſemper *ſecundum vulgi opinionem*, cauſalitatis  
ſuæ origine nonniſi divinum eſſe poteſt immediatē. Deprædi-  
canda hīc divini Numinis miranda providentia eſt circa re-  
gnorum tūm incrementa, tūm decrementa. *Dicit*; eli-  
gunt regem, E. & conferunt, E. & habent jus V. & N. *Reſp.*  
*Eſt fall. conſ.* Nam ab *electione* vel designatione *perſonæ*, cui  
committenda res, ad *ipſius rei effectivam productionē N.V.C.*

§. 3. Quemadmodum itaque omnes reliquæ poteſtates  
in rep. à DEO ſunt, vel *immediatē*, quomodo olim in rep. Ju-  
dæorum nonnunquam; vel *mediatē*, e.g. per *electionem*, ſicuti  
principes electi ac hæreditarii; vel per *Principis conſenſionem*,  
quomodo magiſtratus ac nobiles; aut per victorioſam *ſub-*  
*jectionem*, ſicuti Victores eas conſequeuntur: ita & h. l. Jus  
V. & N. Et quam iniquè & contra conſcientiam egerint, *quo-*  
*ad primam poteſtatis ſuæ originem*, qui per injuſta arma vel per il-  
licitam vindictam, jus V. ac N. rapuerint ſibi, tam tristes e-  
ventus in omni rep. edocuerunt. Occupator n. talis omninō  
reus manet in conſcientiā ſua, quoad *primos victoriosumq; tri-*  
*umphum antecedaneos auſus & actus*, ſeu quoad violentiæ ſuæ  
ſimplicem durationem; tametiſi deinceps poteſtas eius tūm per  
divinam victoriæ pleniffimæ conſenſionem; tūm per amicam  
vitæ donationem, ſubjectis atque devictis factam; tūm per ta-  
citam ſuperati, ac ordinariō magiſtratu ſuo penitūs exuti, po-  
puli electionem, legitimitur. Opponere ſolent hīc (1) *Præ-*  
*ſcriptionem*. Sed hic *ex jure civili* deſumptus terminus, in *ge-*  
*neralibus Politicis aſſertionibus* noſtris nil probat. (2) *Reſtitu-*



*eionem.* Sed hæc huc non quadrat. Jus V. & N. enim non est *proprietatis* aut *κτῆμα* quoddam *proprie*, nec homini eripi potest: restituenda ergò si foret, reddenda Deo esset, qui dedit.

§. 4. Pergamus a. omisis his, in *subjectorum* recensione, ac dicamus, quòd *antiquissimis temporibus* Jus V. ac N. fuerit etiam penes *parentes, maritos ac dominos*, seu *patresfamiliarum*, antequam nempe *Potestati summa*, ex reip. *intrinsecò* contextu, committeretur. *Necessitatem & exigentiam* pro ratione temporum eorum probare possumus 1. *ex necessariâ justitiâ administratione.* 2. *ex necessariâ ordinis conservatione.* 3. *ex ordinariâ sui suorumq; defensione*, qui omnes actus *vim suam* ultimam trahunt *ex potestate necis*, quâ sine vel inanes penitus, vel saltem *precarii ac per se inefficaces* fuissent. Sed *existentiam & existentia causam* deducere aliunde non possumus, quàm *ex jure divinò positivò*: sicuti quoq; communiter *Jurisconsulti* atque *Politici* duo illa loca, *Gen. 3, 16. & c. 9 v. 6.* ob eam rem allegant. Subsequentibus inde temporibus factum est, usque ad *Potestatis summæ plenariam usurpationem*, ut haberetur Jus V. ac N. à quòvis *patrefamilias ferè, & à plurimis quidem sub opinione vel consuetudinis vel naturalis concessionis*: sed *sub originis divina conscientia*, nonnisi à paucissimis. Nunc v. sicut *lumen majus obfuscat minus*: sic quoque *Majestas, summitate suâ* *subditorum potestates absorbet omnium, exceptis iis, quas peculiari quodam indultu, modicè tamen, relinquit.*

§. 5. Addamus denique hoc unicum liceat, *Jus V. ac N. non inesse Clericis jure naturali*, prout quidem asserit *Joa. de Dicast. & Sotus*, atq; *Molina*. Quicquid n. *ex Jure naturali* licitum Clericis est, id quibuscunque etiam hominibus ob *universalem J. N. effectum atq; respectum*, licitum est. Nescio igitur, an *peculiaris Clericorum natura sit*, cum reliqui homines, qui Clerici non sunt, *Jus V. & N. nequaquam possideant.* Quid quod *Jus V. ac N. nec det natura, nec Pontifex S. nec ullus homo.* Prolixior explicatio hujus rei videri potest apud *B. Gerb. in Conf. Cathol. l. 2. p. 2. p. 176.*

SECT.



SECT. V. §. 1. Ex dictis patet, quid sentiendum de  
*αυτοφωρία* sit; quam quinam olim probârint, vid. *Exc. Dn. D.*  
*Wendeler. in phil. pract. maj. p. 145.* Rejiciunt eâ communiter 1. ex  
 propriâ charitatis officiô, ut *Thom. 22. q. 64.* 2. ex reip. incom-  
 modo, *Arist. 5. Eth. c. ult.* 3. ex timiditatis desperabundâ vitio.  
 Vasquez l. 2. disp. 102. Probabilia hæc argumenta sunt, sicut id  
 plurimis probat instantiis *Lugo disp. 10 / 1. p. 237.* Intrinsecum  
 firmissimumque argumentum delumi potest ex *adequatô Juris*  
*V. ac N. objectô*, quod nunquam est nec esse potest *propria vitæ*  
 quomodo *Lugo: sui ipsius dominus fieri aliquis non potest, cum ex*  
*ipsô conceptu & definitione constet, dominum esse aliquid relati-*  
*vum, sicuti patrem.* Ideoq; licet homo potuerit accipere domi-  
 nium aliarum rerum, quæ extra ipsum sunt: non tamen sua ipsius  
 vitæ: nam dominus semper dicit superioritatem respectu illius, cujus  
 est dominus. l. c. n. 9. Hinc regulæ communes: nemo est domi-  
 nus membrorum suorum, nemo sui ipsius esse *Judex potest aut ma-*  
*gistratus &c.* Repugnat n. non tantum ex *jure divinô*, sed e-  
 tiam ex *intrinsecâ Juris V. ac N. naturâ*, unum eundemque esse  
 Juris hujus & *subjectum & objectum*. Dicis: quid si juberet  
 Princeps, ut in pœnam delicti tui teipsum interficeres? Ap-  
 probaret obsequium *Victor. rel. de homic. & Corduba l. 1. q. 36. ac*  
*Lessius l. 2. c. 9. n. 25.* Fundamentum v. Politicum est, *obligatum*  
*esse principem legibus divinis & naturalibus*, nec *obligatorium*  
 esse mandatum ejus, si contra leges illas directè sit. Ex quô  
 concludimus, quod *Princeps* peccet, jubendô idipsum: &  
*subditus* quoque, approbandô & exequendo injustissimum po-  
 stulatum, à quô natura ipsa abhorret. Rectè *Lugo: puniti-*  
*onem potest præcipere princeps cuilibet alteri, non v. ipsi reo, quia*  
*ipse non potest punire seipsum, quia punitio semper est actus Justi-*  
*tiae vindicativæ, quam non potest reus exercere in seipsum, cum ju-*  
*stitia semper essentialiter debeat esse ad alium. l. c. n. 12. p. 239.*

§. 2. Numquid a. politicis defendi rationibus potest,  
 quòd etiam *fures* atque *adulteri* ad *Objectum, Juris V. ac N. seu*

B 3

capi



capitalium poenarum *passivè* capax, referantur nonnunquam?  
 Omnino. De furibus videatur *B. Meisn. in phil. sobr. p. 1. p. 600. seqq.* Quod ad adulteros, hi apud Romanos olim atque Ægyptios, hodiè apud Turcos, Gallos & Italos non morte, sed vel flagellò vel multâ puniri solent. Sed verò *tum conformitas finis*, propter quem Jus V, ac N. est institutum; *tum quoq; qualitas objecti* seu natura scelerum horum, quæ appetitui quorundam tam appetibilia sunt, tamque necessaria nonnunquam videntur, ut nisi supplicio coërcerentur capitali in terrorem, neque carceribus neque fustibus præcaveri satis in toto regnò queant, non sine maximâ fermeque quotidianâ totius reip. perturbatione: hæc, inquam, satis jubent, ut Juris V, ac N. rigor exerceatur adversus fures atque adulteros, potissimum quia Jus hoc in *formalitate suâ* Principi libertatem seu liberam facultatem relinquit, ut *pro ratione circumstantiarum* nunc mitius puniat, nunc verò severius. Quam in rem addere liceat, melioris perspicuitatis gratiâ, quæ habet alicubi *Dn. Sutbold: Summa in rep. majestas, tanqv. custos societatis civilis, rectè facit, si unicuiq; delicti talem destinat poenam, quæ ad finem obtinendum proportionata & accommodata sit. ad Inst. J. disp. 16. §. 37.*

§. 3. In genere a. *personale Juris hujus objectum* sunt *Malefactores*, ideoque & *objectum reale*, delicta & poenæ. Prob. 1. *ex actu formali*, qui est vindicta. Si malum feceris, time me; magistratus DEI minister est, vindex in iram ei, qui male agit. 2. *ex fine principali*, qui est honesti virtutumque omnium custodia. 3. *ex causâ originali*. A DEO dari non potest, quod infanti noceat. 4. *ex principiò naturali*: Nemo lædendus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Mali puniendi, boni præmiis afficiendi. 5. *ex causâ occasionali*, Appetitum n. nostrum si non incessisset gravis *αταξία*, gladii coërcitione non opus fuisset. 6. *ex relatione poenæ essentiali*. Meritum poenæ fundatur in delictò. 7. *ex homicidij ratione formali*. Homicidium n. quid aliud est, quàm cædes hominis injusta?

At



Atc itra culpam puniri vel occidi, hocine sit justum? 8. *ex consensu prudentum universali.* Convincuntur omnes boni in conscientia sua, injustum esse, si dolor infligatur ei, qui nihil dolore dignum commiserit. 9. *ex reip. damno eventuali.* Equis permittet se amplius magistratus illius Juri, a quo ad mortem dari solet, qui pie vixerit ac innocenter? 10. *a divino tribunali.* Summi Judicis æternum ac immutabile decretum est; justum & innocentem non interficies. Exod. 23, 7.

§. 4. His ita præsuppositis, ad quæstionem: *an & innocentem occidere liceat?* negativè quod respondendum sit, patet. Tò utile tamen excipiunt multi, e. g. *si hostis recedere ab urbe nolit, donec tradatur sibi, quem ad mortem dedi, quamvis insontem, voluerit.* Hunc esse tradendum, dicunt Navarr. l. 2. de rest. c. 3. n. 120. Molina tr. 3. disp. 10. n. 4. Lessius, Lugo, Dicast. & Amesius l. c. nec non Grotius de J. B. & b. l. 2. c. 25. n. 3. Nos id ex *potestate N. ac V.* fieri posse, inficiamur. Fundamentum petitur a genuino & adequato Juris hujus objecto, quod *fontem esse, non innocentem*, prolixè ante probavimus. Quibus argumentis addatur quoque (1) *boni justiq; ac generosi magistratus officium*, quod est defensio innocentis contra nocentes: nec hinc fingenda statim impossibilitas est. (2) *naturalis ac immutabilis juris debitum.* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. (3) *DEI de non approbanda vel adjuvanda insontis tade interdictum.* (4) *hoc ingens absurdum.* Traditò insontem cive, si gravioribus minis adhuc unum vel alterum juberet hostis: numquid & singuli tandem sic ibimus, ibitis, ibunt? Ipsi adversarii tradendos esse *PLURES* negant. Itane v. *pluralitas tradendorum* facit, ut idem *specie traditionis actus*, sit justus & licitus, & quoque non? Justus ac licitus, ob *unitatem tradendi corporis*: injustus v. ac illicitus, ob *tradendorum pluralitatem*? Quæ consequentiæ ratio?

§. 5. Dicunt i. tenetur innocens jure naturali ad oppetendam pro salute patriæ mortem, ultrò se offerendo tyranno: cogi proinde a rep. potest



potest ac tradi, non equidem eò fine, ut occidatur: sed ut officium faciat suum, & sic resp. liberetur. *Resp.* Multiplex hic error est (1) circa *causam obligantem*, quæ si jus naturale est, reliqui cives tenebuntur & omnes, magnates quoque ac principes universaliter, immutabiliter: at hos tradendos ipsi negant. (2) circa *causam promerentem*, quæ si salus patriæ est, civium quoque ac innocentium salus cumprimis est. Tenebuntur itaque *socii pro insonse sociò, ceu parte patriæ, agere. Aut demonstratur obligatio exclusiva*: probabiles ratiunculas hic nulli curamus. (3) circa *modum causamque formalem*. Ad necem qui se insonsem offert ultrò, peccat *tum* contra naturalis charitatis debitum, *tum* contra homicidii interdictum, *tum* quoque committit temeritatis & audaciæ vitium. (4) circa *commodum causamque finalem*. Tradendus n. civis vel reip. utilis est, vel non est. Ille tenebitur nunquam vel jure naturali, vel ex officio charitatis, ad inferendum patriæ damnum, ultroneâ sui privatione. Respublica quoque se proderet ipsam, si subdolas hostium fraudes expleret jacturâ tam gravi. *Hic* si petatur, ob humilitatem suam non excidet jure defensionis, quod isti debebatur præstantiori. Et quivis emunctioris naris, hostis fallacissimam sentiet intentionem, non incertus, eâdem fide promissam fidem servatam iri, quâ naturalem divinitamque de non occidendò insonse legem, ad tot petita monitaque concivium servare sustinuerit. (5) circa *titulum vel pretextum*. Quasi verò traditores ignorent, quem ob finem & ad quem eventum, petitum Civem tradant. Id quoque vitium est, cum non defendimus eos, quos tueri debebamus. Rectè de Dicastillo: *qui consilio vel auxilio movet aliquem (hostem) ad necem sibi vel alteri (subdito innocenti) inferendam, verè ac propriè est homicida, l.c.p. 307. n. 185.* *Dicunt* 2. præsentissimam imminere totius reip. everisionem. *Resp.* 1. facilius talia dicuntur, quàm fiunt. 2. quæ tam absurda resp. fuerit, quæ urbis pati velit obsidionem, nec opem alterius impleret ante, cū se nec uni quidè defendendo civi parè existimaverit. Ac *dist.* 3. inter magistratûs officium, officiique



cuique evenit. Ad magistratus officium pertinet, defendere sub-  
 ditos adversus hostem: ab eo desistere idem non statim debet  
 propter incertum exitum belli, sed cum Joabo ci. at: Con-  
 fortemus nos pro populo nostro & pro urbibus Dei nostri: Do-  
 minus a. faciat. q. od est bonum in oculis ejus, 2. Sam. 10, 12. *Dicunt*  
 3. sicut pro salute totius corporis, abscindere corporis partem  
 licet; sic quoque tradere civem pro salute totius corporis po-  
 litici. *Resp.* Hæc ratio ab ipso *Jo. de Lugo* rejicitur 1. quod  
 aliud sint membra corporis naturalis, aliud politici. 2. quia  
 cives non sint propter remp. sed hæc propter illos. 3. quia  
 resp. in civium vitam non habet dominium. *l. c. n. 104.* Et sic  
 omnino *El. est similitum*: cumque facienda non sint mala, ut  
 inde bona eveniant; hinc est *fall. conf.* *Dicunt* 4. sicut educi  
 civis contra hostem potest in bello; ita & innocens hostibus  
 dedi. *Resp.* Est *El. parium*. In bello educitur, non solus; sed  
 una cum sociis; nec ad interitum, sed ad victoriam; contra ho-  
 stem, non sub hostem: ad pugnam, non ad poenam: ad vitæ  
 defensionem, non ad vitæ amissionem. Vid. *Sotus l. 7. de just.*  
*p. 64. a. 4. & Aragon. q. 64. a. 6.*

SECT. VI. §. I. Potissima v. doctrinæ pars de Jure N.  
 ac V. est *usus & exercitium*. Quod n. *jus & exercitium juris*  
 differant, id constat 1. *ex definitione*. Nam in conceptu ἐξουσί-  
 ας & κτήσεως, non involvitur simul conceptus ἐπιπέρας aut  
 χρήσεως. 2. *ex limitatione*. Cessat exercitium sæpè, vel rati-  
 one alicujus objecti, aut temporis, aut loci certi; & vel ex pro-  
 missio, vel ex institutio liberio; sed permanet ipsum indivisibile  
 Jus, ac sese exerit aliò loco, quoties necessum consultumque  
 fuerit. 3. *ex inductione*. Absolutissima in sese majestas  
 est; definitur n. quòd sit *potestas summa in civitate ubiq;*; ta-  
 men ratione existentia & administrationis est fermè semper  
 limitata non nihil. 4. *ex principij distinctione*. Jus & potestas sim-  
 pliciter ex jure divino positivò pendet; sed exercitium simul  
 ex voluntate humana. 5. *ex denominatione*. Justissima semper  
 in sese potestas est; sed exercitium tamen tyrannicum sæpè.

C

§. 2. Li.



§. 2. Limitatum proinde & Juris hujus exercitium est, or-  
 dinatumque ad aliud, vel per se & necessitate absolutâ : vel per  
 accidens & necessitate hypoteticâ. Per se v. tum ratione  
 cause, ab ipsô Autore ac Datore suô : tum ratione norma,  
 ad jus divinum positivum, ad jus naturale, & ad jus gentium,  
 & quæ ex iis proximè & per se fluunt. Probatum hoc ipsum  
 (1) ex universali jurium horum obligatione. 2. ex finis pro-  
 portione. Ad certum enim finem DEUS hoc dedit jus :  
 qui observandus. (3) ex objecti conditione. Non n. quosvis  
 sub potestatem necis dedit : sed fontes. (4) ex subjecti ratione.  
 Non enim cuivis dedit hoc ipsum jus : sed ordinariè ad id vo-  
 catis, (5) ex modi restrictione. Eateno exerceri jus tale debet, quato  
 honestas & recta ratio, D E U S & Natura illud permit-  
 tunt. Ut itaque exercitium Juris hujus sit justum, respe-  
 ctus fieri debet tum ad subjectum, tum ad objectum, tum ad fi-  
 nem, tum ad principium effectivum ac directivum, tum quo-  
 que in genere, pro ratione aliarum circumstantiarum, ad mo-  
 dum. Nam & per acc. fit, ut ab hominibus quoque jus i-  
 stud limitetur, puta vel ex habentis ultroneâ promissione, vel  
 ex patientis humillimâ stipulatione : & quanqv. non universa-  
 liter, circa effectum vel modum quemcunque, quod ineptissi-  
 mum foret : frustra enim potentia est, quæ non traduci ad a-  
 ctum potest : benè tamen particulariter, exceptione tem-  
 poris certi aut loci certi &c. aut modi quoque qualicunque  
 determinatione.

§. 3. De cetero ne vel in excessu nimius rigor, vel in defectu, in-  
 dulgentia nimia comittatur, sectanda Recta Ratio est, quæ ex Justi-  
 tiâ & æquitate, ex Mansuetudine & Comitate, secundum humana-  
 rum actionum principia, tum delictorum spectet naturam concretè, ut in  
 hac causa cognitione Geometrica quædam proportio fiat ; tum  
 in inflictione, doloris infligendi quantitatem consideret, ut A-  
 rithmetica maneat inter culpam pœnamq; proportio, juxta il-  
 lud : pro mensura peccati erit & plagarum modus. Deut. 25, 2.  
 Nam conscientia dicitur forum, non approbari majorem vel  
 minorem delicti pœnam vel à prudentibus, vel à DEO  
 ipsô. Cave tamen putes, *ἡμεῖς καὶ ἀνεβόδιον* esse  
 oppo-



*opposita*. Non enim sunt eadem delictum vel poena in *abstracto*, & in *concreto*. Aequalis etiam delicto poena est saepe non *materialiter*, bene tamen *formaliter*; *reipsa*, si non modo. Sed haec nunc missa facimus.

SECT. VII. §. 1. Efficaciam *Juris V. ac N.* vocamus utilem ac necessariam vim illam, quam consequenter quibuscunq; imperii partibus seu Majestatis juribus confert. Frustra non est *νομοθεσία*, *jus belli*, *jus pacis* &c. absq; potestate vitae & necis. Nam frustra sint imperia oportet, quae illos concernunt, quibus, manente integrâ vitae spe, ventis committere jussa licet. In hoc namq; mortalium statu imperium obsequiumq; spontaneum non est, sed *coactivum*, per *gladium*. Similiter frustra vel saltem precario postulatur *tributa* & *vectigalia* ab eo, in quem non valet *jus V. ac N.* Nam postulanti si deneget possessor, an hic non obediens punietur ab isto? Sed is potestate gladii caret, quia *jus V. ac N.* non habet. Negatâ causâ, negatur effectus.

§. 2. Contrâ qui potestatem in alicujus caput ac vitam habet, quidni in *bona* illius quoque? *A minori ad majus*. Minus probabile est, licere imperium in *vitam*, quam in *bona* dominium: cum inter vitam ac bona maximè inaequalis intercedat proportio. Sed *id tm. est, ex jure divino*: ergo & multò magis hoc, quod & à posteriori *multa ac leges* abundè *demonstrant*. Utrûq; verò ratione *exercitii*, limitatum satis abundè est, prout in sectione sextâ probavimus. Aliud proinde *dominium publicum* sive potestas in *bona* ea est, quae ex plenissimâ Majestatis summitate, ob *potestatem in subditorum capita* fluit: aliud *privatum*, sive bonorum proprietates ea, quae non ex *jure V. ac N.* immediate ac proximè, sed ex aliâ quacunque causâ dependet. Quisquis *potestatem in caput* habet *οὐκ ανύμωσ* atque *κρυβίως*, potestatem simul in ea habet, quae capiti, tanquam principali, adjacent suo: nequaquâ verò *reciprocè*, qui potestatem in *bona sua* habet, eò ipsò simul *jus vitae ac necis* habet: committitur enim *fallacia causae*, nec à *majori ad minus* licet *affirmativè* argumentari.

SOLI DEO GLORIA.





## Index contentorum.

In Sect. I. vocabuli *juris ὁμωνυμία*, §. 1. Juris V. ac N. *συωνυμία*, ib. ejusdem descriptio, §. 2. Genus, ib. Differentia, §. 3. In Sect. II. existentia ratione facti, §. 1. & juris, §. 2. In Sect. III. caussa, non humana, §. 1. sed divina §. 2. non jus naturale, vel gentium, neq; communitas, neque naturalis aptitudo vel inclinatio, neq; utilitas vel dignitas moralis? §. 3. Objectio, cum solut. §. 4. In Sect. IV. subjectū, an sit privatus? §. 1. an societas vel communitas? §. 2. an occupator? §. 3. an parentes, mariti, ac domini? §. 4. an Clerici? §. 5. In Sect. V. objectum, an vita propria? de *αὐτοχρεία* §. 1. an fures & adulteri? §. 2. objectum generale §. 3. an & innocens? §. 4. affirmantium solvuntur objectiones, §. 5. In Sect. VI. an jus & exercitium differant, §. 1. jus V. ac N. quòd & quomodo sit limitatum §. 2. de executione ac proportionem, §. 3. In Sect. VII. juris V. ac N. efficacia circa jura Majestatis. §. 1. consequens, dominium publicum. §. 2.






05 A 1389

ULB Halle  
003 781 50X

3




1017











In Nomine JESU  
DE  
JURE VITÆ  
ET NECIS,  
PRO LOCO,  
IN AMPLISSIMA FACULTATE  
PHILOSOPHICA

*benivolè  
concessò sibi,  
disputabit*


M. JACOBUS WÆCHTLERUS,  
Ser. Elect. Sax. Alumnus,

*Respondente*  
JOHANNES Hölzeln/

Nivemont. Misnic.

Die XVIII. April. horis matut.

*in Audit. Majori.*



WITTENBERGÆ,  
Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXV.

